



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

11 de prohibitione Nuptiarum ratione consanguinitatis & proximitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

de iudic. Sed contrahitur tantum publica honestas. Contrahitur etiam ex sponsalibus publica honestas, licet sponsalia, alioquin pura & certa, nulla sint propter aliquod impedimentum. *ca. 1. de sponsal. in 6.* Declarata namque fuit voluntas contrahentium ex actu alioquin inualido, quem efficere conati sunt. *arg. l. fin. de reb. eorum.* Et in his publica honestas ab affinitate distinguitur, quamuis aliquando, & hæc nomina confundantur, *d. c. discretionem, & c. pen. de eo qui cognoscit uxorem suam.* cum in affinitate sit publica honestas, quamuis in omni publica honestate non sit affinitas.

7 ¶ Affinitas ¶ duplex, primi & secundi generis: primi generis, ex coniunctione viri & mulieris nascitur: secundi generis, quando consanguineis affinis alii affinitate iunguntur, aita secunda copulatione, exempla postea docebunt.

8 ¶ Iure ¶ canonico in affinitate & publica honestate, gradus considerari certum est, etsi iure civili aliud seruari dixerimus. Itaque per carnis copulam viri & mulieris, inter virum & consanguineas mulieris: item inter mulierem & consanguineas viri, contrahitur affinitas primi generis, in eo gradu, quo est consanguinitas, non autem inter consanguineos viri, & consanguineos mulieris contrahitur. *c. quod super his, de consanguin. & affinit. §. mariti, de nupti.* Ideo frater viri recte matrimonium contrahit cum uxore uxoris fratris, aut cum alia eius consanguinea: nam hic tantum affinitatis ius considerat primum genus ex prima maris & femine coniunctione, non secundum genus. Ut si affinis alteri iungatur affini, ut si frater tuæ uxoris, qui est tibi affinis in primo gradu & in primo genere, iungatur cum sua uxore, quæ erit tibi quoque affinis, sed in secundo genere, quod non habet prohibitionem, *c. non debet, de consanguin. & affinit.* nam & mortua tua uxore & fratre eius, potes uxorem fratris uxoris ducere. Considera rursus, nos dicere affinitatis gradus primi generis computandos esse, habita ratione eorum qui quæve coniunguntur: ideo cum his computamus gradus, non inter affines simpliciter. Veluti voca coniunctum copula Titium, & coniuncta Semproniam: foror Sempronie est in eodem gradu cum Titio, & Titius est in secundo gradu affinitatis cum filia fororis Sempronie, & cum nepte eius in tertio: & sic consequenter numerat gradus affinitatis Titii, cum gradibus consanguinitatis Sempronie: & contra gradus affinitatis Sempronie numerat gradibus consanguinitatis Titii. *Probantur hæc in can. porro. 15. q. 5.* Ad istos autem pertinent potius gradus, quam ad alios affines: quia uxor & maritus, & alii qui copulantur, sunt duo in carne una, *d. can. porro. ca. 2. Genesios. ca. de bitum, de bigam.* quod & de adherentibus meretricibus dixit D. Paulus *1. ad Corinth. 6.* Pro gradibus publicæ honestatis eadem, quæ in affinitate, obseruanda: ut per sponsalia per verba de futuro, aut de presenti, contracta inter sponsum & consanguineas sponse, item inter sponsam & consanguineas sponsi contrahatur publica honestas primi generis in eo gradu, quo est consanguinitas. *Pauor. in c. iuuenis. de sponsal.*

9 ¶ In ¶ cognitione spiritali duo sunt tantum gradus considerandi, ad ministrorum regenerantium, & regeneratorum Deo: vocant iura *compaternitas, commaternitas, & confraternitas.* *in c. ultim. de cognat. spirital.* Appellatio quælibet satis indicat duas personas ad esse singulis nominibus. In compaternitate duo patres, naturalis, & iustitialis cum patre iustitialis ratione baptisimi: aut habita ratione sexus duo pater & mater iustitialis, ideo copatres, id est, simul patres. In commaternitate duæ matres baptisimati. In confraternitate baptisimata, & filii patrum aut matrum iustitialis, seu spiritalium: idem de fororibus dicendum, si feminini sexus baptisimati sit, quæ *conforor* erit cum filia naturali patris iustitialis. Soror enim & fratris appellatione continetur. *L. tres fratres, de transact. in P.* Istæ omnes consanguinitatis species referuntur ad baptisimum, id est, eius causa sunt compatres, commatres, & confratres. Sed & habent relationem quoque ad alias personas baptisimati, ut ad patrem, matrem, & fratrem naturalem. *c. 1. de cognat. spirital. lib. 6.* Et proprie pater iustitialis, cum matre naturali compatres est: mater iustitialis, cum matre naturali baptisimati commatres est. At inter patrem iustitium & matrem iustiticam, non est proprie compaternitas, licet ambo sint patres, & ideo inter eos potest esse matrimonium. ¶ Compaternitas ¶ duplex est, directa & obliqua: veluti diximus affinitatem primi, & secundi generis. Compaternitas est directa, eius qui filium alterius suscipit in baptismo cura patre naturali baptisimati. *ca. ita, 30. quest. 3.* Obliqua vel ex prima orta, cum sola uxor suscipit a baptismo, cu-

ius vir & compater dicitur. *can. si quis ex uno, 30. q. 4.* Ita pater naturalis baptisimati, est compater non solum cum patre iustitialis, sed etiam cum eius uxore. Ita & mater naturalis non solum commatres est cum matre, sed etiam cum eius viro, *capit. 2. Maritus, de cognat. spirital.* sunt enim illi duo pro vna carne. *c. 2. Genes. De horum consanguinitate sic statuit nouissime Concilium Tridentinum; Sessio. 8. ca. 2. reformatio.* *Vnus tantum, siue vir siue mulier, vel ad summum vnus & vna baptisimati de baptismo suscipiant, inter quos & baptisimatum ipsum, & illius patrem ac matrem tantum, spiritalis cognatio contrahatur. &c.* Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur.

¶ Et ¶ hæc quæ de consanguinitate & affinitate dicta sunt, & personis earum, summo opere notanda sunt: cum apud Iuriscosultos crebro de his recordari oporteat, & vtilis eius sit cognitio, ut in contractu, & successione, & iudiciorum quæstionibus, in quæstione redditionis gentilitiæ, dum proximior admittitur & præferatur in redditione, *ut in ca. constitutus, de testium, in integrum.* Si agatur de deferenda successione intestatorum, quo ad proximiores deuoluitur, *l. Iuriscosultus, 10. de grad. affini. §. si vero, de hered. ab intest. veni. colla. 9. in authent. vel si quæstio de tutela legitima, quæ proximior sequitur agnatum vel cognatum, §. 1. de legitim. agnat. succ. d. l. Iuriscosultus, vel de deferenda bonorum successione, vel diuidenda ea per capita, aut in stirpes, l. 1. §. gradatim, unde cogn. cum similib. vel de vocando proximior in bonis referuatis familiæ, ubi queritur propinquior, l. peto, §. fin. de lega. 2. vel si agatur de expellendo a testamento propinquo, l. lege Julia, de test. in P. in feudis & aliis: Si agatur de nuptiis legitimis, inter quos possint esse, prohibere sint. *c. non debet, de consanguin. & affini. tota. 30. q. 2. 3. 4. 5.* Quo de capite paulo vberius nunc dicendum est.*

De Prohibitione nuptiarum ratione consanguinitatis & proximitatis.

CAP. II.

- 1 *Matrimonium prohibuitur inter ascendentes & descendentes usque ad infinitum.*
Intra collateralales usque ad certum gradum.
- 2 *Nuptiæ incestæ inter consanguineos, & incestus, unde & cestus quid.*
- 3 *Nesurie & incestæ nuptiæ inter ascendentes & descendentes.*
- 4 *Pæne aduersus contrahentes incestas nuptias.*
- 5 *Per se miscetur illorum lege, etiam cum matribus, & contrahentibus nuptiis.*
- 6 *Semiramis legem tulit, licere & cum maribus & aliis consanguineis nuptias contrahere.*
- 7 *Oedipodis calamitas ob matrem uxorem ducit, etiam ignorantia.*
- 8 *Climeneus filiam Harpalycem uxorem duxit, & mala inde consecuta.*
- 9 *Periandi & matris eius concubitus vindicta diuina.*
- 10 *Incestuosi alii Principes, & monstra humane nature.*
- 11 *Fratris & sororis nuptia apud quos fuerunt permixta.*
- 12 *Moses iussit proximis nubere mulieres, lex eadem Atheniensibus.*
- 13 *Lex de non ascendenda uxore, sorore, vel filia fororis, & proneptis.*
- 14 *Duorum fratrum filii & filia num coniungi matrimonio possunt.*
Gradus prohibitionis nuptiarum.
- 15 *Gradus nubendi consanguineorum usque ad septimum.*
- 16 *Salua lex de proximorum coniunctione.*
- 17 *Impedimenta legalis coniunctionis.*
- 18 *Impedimenta inter consanguineos spiritalis cuius sint gradus, ratione baptisimi, & confirmationis.*
- 19 *Cognatio penitentia seu confessionis non egreditur personas continentium.*
- 20 *Nuptiæ quo gradu affinitatis prohibentur.*
- 21 *In gradibus nuptiarum prohibitarum computandis affinis variatum quomodo est.*
Fratres fratris suscipit prolem, iure Moisaico, quod correctum est.
Domus ex calcæati quid.
- 22 *Affinitas primi generis prohibet nuptias, non secundæ.*

23 In gradibus prohibitis dispensat summus pontifex solus, & potestatem nubendi dat, in certis tamen non in omnibus.

1 His præcognitis, dicimus nuptias ratione consanguinitatis, & cognationis prohiberi inter ascendentes quidem & descendentes gradus lineæ rectæ, ut inter patrem & filiam, avum & nepotem, matrem & filium, aviam & nepotem, & vique in infinitum, Caus. l. nuptia, §. 3. l. fin. de rit. nupt. lib. 2. §. P. ergo non omnes, de nup. Diocle. & Max. l. nemini, 17. de nupt. lib. 5. C. tit. 4. §. fi. quib. mo. in aucten. col. 7. inter collaterales autem, vique ad certos graduum limites, tot. tit. de incest. nupt. lib. 5. C. tit. 5. l. fin. si nupt. ex refer. 2 pet. lib. 5. C. tit. 8. Paul. incesta, §. 2. de rit. nupt. ¶ Dicunturque hæc coniunctiones vnicò nomine incestæ, prædictis iuribus, quasi non caste secundum Nomen: vel non Venere iusta initiata. Cestum enim seu cingulum veneris, dicebant annorum legitimorum initium, ut ait Angel. Politianus, Miscella. c. 11. vel quod zone, quas virgines solebant deferre, quæ soluebantur a maritis, iuste solutæ non essent, indicat Ovidius, in epist.

Cum mea virginitas a nubibus libata sinistris. Castaq; fallacis zona resinicta manum.

Possuntque dici omnes nuptiæ, quæ legitimæ non sunt, incestæ: ut notat glossa ad rubricam de incest. nupt. C. Sed & expressè id respondit Paulus Iurisconsultus, l. sororis proneptem, 39. de rit. nupt. in P. ¶ Nefarias ¶ quoq; dicere possumus & incestas inter ascendentes & descendentes initas, ut nefaria coniunctio dicitur ab Vlpiano, l. 1. de concubi. lib. 25. P. tit. 7. §. ergo non omnes, vers. est tales, de nupt. apud Iustin. eius, qui in concubinato patris fuit, deinde in filii esse cœperit, vel nepotis, vel cõtra: Eius generis, incestusque dici possunt, quæ cum priuigna, nuru, nouercaque fiunt, Papin. l. si adulterium cum incestu, 38. ad l. Iul. de adult. lib. 48. P. tit. 5. pari modo prohibita: prohibent iura diuina concubitum cum matre & nouerca.

4 ¶ Pœna, ¶ iure ciuili, aduersus has incestas & nefarias, constituta graues, autem, incestas nuptias, & autem, ex complexu, de incestis nupt. C. §. 1. de incest. & nef. nup. in auct. colla. 4. consti. fin. §. fin. quib. mod. nat. eff. sui, collat. 7. consti. 1. Bonorum in ætæratium seu fideiua relatio, dotis quoque, exilium, verberatio. Soluuntur & hæc coniunctiones iure pontificio, verum non nisi cum auctoritate ecclesiæ, Episcopis scilicet, inquisitione proximitatis facta: alioquin non licet abire ab eo contracto matrimonio, ca. 3. de adult. lib. 4. Decretal tit. 19. can. secularis, 37. quest. 2. c. multorum, 35. quest. 6. Sed & iure eodem nuptiæ incestæ dirimuntur, & scienter contrahentes, ne nubant aliis prohibentur, ex concilio Maguntinensi, & aliis sanctionibus, ca. si quis, ca. qui dormierit, ca. concubuisse, & seq. §. 2. q. 7. Prohibitæ & iure ciuili etiam in personis secularibus, ut pote naturali causa inspecta, ut ait Paul. Iurisc. l. ad optinens, 1. 4. §. seruiles, de rit. nupt. in P. qui in vulgo quæstus idem statuit, & fornicatione coniunctis, c. nec eam, 35. quest. 2. Item & in personis per adoptionem coniunctis iisdem gradibus Causi respondit, in l. qum secularis, 55. de rit. nupt. P. §. 2. de nupt. apud Iustinia. ¶ Inuenimus ¶ tamen ius aliquando fuisse apud Pœnas misceri cum matribus, teste Arnobio, lib. 8. aduers. gent. & Philone Iudæo, de secular. legib. c. contra machos, qui ita caluriam promit, Honorarios Persæ cum matribus contrahunt matrimonium, & natos inde arbitrantur nobilissimos, regioque, ut ferunt, dignatur solo: quo nihil magis impium ex cogitari potest, conspercari defuncti patris thalamum, cui maxima debeatur religio, matri nullam exhiberi reuerentiam, filium eundem, & matrem fieri, matrem vicissim uxoris nomen assumere, &c. ¶ Tulit ¶ legem aliquando Semiramis regina, ut flagitium tegetet cum filio suo Nino commissum: ut nulla discretione habita sanguinis, liceret cum matribus & consanguineis coniungi nuptiis, ut scribit Orosius, lib. 1. cap. 4. Ob factum tamen suum illa postea misere occubuit. ¶ Accidit ¶ tam læste facinus inter pignos Thebis Oedipodi Laii filio, non sponte tamen, sed per ignorantiam. Nihilominus tamen tantam calamitatem secum contulerunt hæc nuptiæ, ut nihil reliquum factum sit ad summum miseriarum cumulum: secuta continua bella, tum externa, tum ciuilia, veluti hereditaria, ut scribit idem Philo. d. lib. de sec. leg. c. cont. machos. Explicat autem Homerus, his verbis, Odyss. l. vers. 265. & seq.

μητέρα τ' αἰδιδόσασθαι ἰδὸν καὶ τοὺς ἐπιπέλους, ἢ μητέρα ἔργον ἔρεσκον αἰδιδόσασθαι νόστο, ἢ νεμεσίου θ' ἕκαστον ἐν πατὲρ ἔξεναι ἑσέως ἡμίον, ἀσπαρ δ' ἀνάστυσα θεοὶ δέστω ἀνθρώπων, αἰλλ' ὁ πρὸς ἐν δὲ τῆν, πολυγέστρα ἀλγέα πείζων, ἐγμείων ἠνεσσε, θεῶν ἐλαῖς δ' ἔξουλας,

ἢ δ' ἔσθ' εἰς αἰδύο πύλαρτο κερταεῖο ἐλαμὲν βέρον αἰπὺν ἀπ' ἰπλοῖο μελῶδου ἢ ἀγχοῖ ἡμίον, τῶ δ' ἀλγέα κέρτα ὀπίσω, πολλὰ μάλ' ἄστυ τε μὲν ἔξ' ἐννύκας ἐπιπέλους, id est,

Matrem, Oedipodis vidi pulcræ Epicastam, Quæ ingens facinus commisit, insipientia mentis, Nupta suo filio: ille, suo patre perempto, Vxorem duxit. Statim autem vulgata Diviserunt hominibus. Sed ille quidem in Theba amabili, dolores patiens, Thebanis imperabat, Deorum dira per consilia. Illa abiit in Platonis domum validas portas habentis, Annexa laqueo sublimi ab alta trabe Suo dolore correpta: huic dolores reliquit post se Valde multos, quot quot matris furia efficiunt.

¶ Climeneus ¶ Telei filius, Harpalycem filiam cum qua antea occulte concubuerat, occiso Alastore, cui desponsata erat, palam uxorem habuit. Sed facinore commota Harpalyces, iuniorum fratrem necavit, ac quodam festo sacrificiorum comedendum dedit populo Argiuo. Climeneus vero facinoræ conscientia se ipsam interemit, ut narrat Parthenius, in Erotico. c. 13.

¶ Refert ¶ & idem, idem Parib. eod. cap. 17. matrem Periantri cum eo clam concubentem, se quoque iateremisse, & Periantrum in furorem & sæuitiam crudelissimam delapsam. Bassianus Antoninus, dictus Caracalla, uxorem incestu Iuliam nouercam suam duxit, teste Spartiano, Emil. Spar. in Caracal. Sed qualis sceleris vis is fuerit, nemo ignorat: qualisve Commodus Antoninus, qui Lucillam sororem constituit, & occidit, confobrina patris complexibus suis coniuncta, ut ait Lampridius, in eius vita, vitæ enim eius indignitas & ad scelera procliuem fuisse notum non ducit, si Herodianum legas, in Commod.

¶ Omitto ¶ reliquos incestuosos principes, ut monstra, Neronem & Ottonem, de quibus Xiphilinus ex Dione, in Nero. & Orho. Quibus, quia Dei neque naturæ nomen venerabatur, id licere, quod non prohibebant subditi, sed impie, sibi persuadebant. Reservati tamen grauiori pœnæ in illud seculum iudicio Dei. Fuit illis imperandi arbitrium ad malum occasio, sicuti & Cambysi, qui cum amore fororum captus esset, ut est apud Herodotum, in Thalia. in lib. 3. nec liceret fororem lege Persarum ducere, interrogans iudices regios, apud quos legum custodia & interpretatio erat, num lex id permitteret, responsum accepit, nullam legem se inuenire, qua frater licitum sit nubere forori: quandam tamen aenire, qua liceat regi Persarum facere quod lubeat. ¶ Quod ¶ autem ad collaterales gradus & nuptias eorum pertinet, variæ certæ in illis fuerunt gentium leges. Nam apud Athenienses Solon vetavit in veteris tantum germanis: contra Lacedæmoniorum legislator veterinis non interdicit connubia, sed solis eodem patre genitis. Aegyptius vtraque ridens, vtrisque laxavit libidinem, Philo Iud. lib. de special. leg. cont. machos. Arnob. lib. 8. cont. gen. Amilius Probus queque ait, in Cimone, patrum Atheniensium more fuisse, ducere forores. Et alibi, in proem. vitar. idem repetit, hoc tamen non congruere suis moribus, id est, Romanis, fateatur. Sunt tamen aliqui, ut Androcides, oratio. contra Alcibiad. Athenæus, lib. 13. & Suidas, in verbo Cimone, & ὁσ ἐκαστο, qui quod Probus firmat exemplo Cimonis, improbant: dicantque Cimone per Ostracismum vel testulas a ciuitate ad tempus exterminatum, quod contra leges commississet in eo, quod fororem suam Elpinicem duxisset. Prohibet & hanc uxorem ducere Phocylides, hoc versu,

Μηδὲ γαστήρης ἐς ἀπότερον ἑλθεῖν ἐὺνιν. Ne fratrum ventum geniale sororis inito. ¶ Fuit ¶ flex lata a Mose, Numer. cap. 36. & Tob. cap. 7. post distributionem factam terræ adeptæ premissiois tribubus Israeliticis, ut feminae, ad quas bona peruenerint familiarum, exstinctis masculis, nubent tantum hominibus suæ tribus, ne confunderentur bonorum diuisiones, transeuntibus filiabus in alienas familias. Fuisse & inter alias gentes hanc legem, ut proximis nubent feminae, constat ex Iulio Polluce, lib. 3. Onoma. cap. 3. dum meminit de lege Atheniensium Solonis: atque filiam illis vnicâ d' ὅταν ἐπιπέλων, quam duceret generis necessitate propinquus, eamque, si indotata esset, dotandam a propinquo, si illam non duxisset. De illa lege Terentius, in Phormio. videtur etiam locutus dicens,

Lex est orba, qui sint genere proximi, Eia nubat, & illos ducere eadem hac lex iubet.

Et alibi idem, Terent. in Adelphis. Hec virgo orba est parre. Hic meus amicus, illi genere est proximus. Hic leges cogunt nubere hanc.

Fortunatianus lib. 1. Rhetori. quoque ait, lex est, orba proximo nuba, vel si eam nolueris in matrimonium ducere, det decem millia. 13 ¶ Postea autem & leges istae in defuetudinem abierunt, limitel- que proximitati constituti, qui non liceret consanguinibus coniungi placuitque non licere nuptias cum sorore primum contra- here, etiam si illa vulgo quaesita sit, Paul. l. adoptiuus, 14. §. seruius. Et Scanol. nihil inere est, §. de ritu nupt. in P. Legem & talit Cocceius Nerua, ne fratris filiam vxorem ducere fas esset, Dio, in Coc- cio Nerua ap. Xiphili. De neptibus scribit Plutarchus, problem. 6. in haec verba, superioribus, inquit, temporibus, quae se aliqua necessi- tudine contigissent, vxores non ducebant, quemadmodum nec nunc quidem sorores; sed non ita pridem factum est, ut neptis vxorem ducere permitterent: & proboscitum factum, ut in ducendis vxoribus ad ne- ptis vsque ascendere liceret, superior tamen necessitudo prohiberet. Verum Paulus, l. sororis proneptem, §. 9. de ritu nupt. in P. Iurisconsult. sororis proneptem, inquit, non possum ducere vxorem, quoniam pa- rentis loco ei sum. Et Diocletian. & Maxim. CC. l. nemi liceat, in- quunt, contrahere matrimonium ex latere cum amita, matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte, praeterea fratris tui filia, & ex ea ne- pte. Et Imperator Alexius Comnenus, lib. 1. iur. Oriental. in con- stitutio. Alexii Comne. tit. de ritu nupt. ad suggestionem Proedri & Eucharthae Bardae Zeri constituit quoque ne amita & fratris fi- lia cum patruo & fratris filio tamen sexti gradus ex cognatione affinitatem obtineant, citra impedimentum iungantur. Quae con- stitutio etiam ex Nicolai patriarchae Constantinopolitani subno- tatione recepta est. Meminit Suetonius, in Claudio, c. 26. Claudiu Caelarem, illecebris Agrippinae Germanici fratris sui filia, per ius osculi, & blanditiarum occasiones pellectum in amorem, tubor- nasse proximo sepauit, qui censuerunt cogendum ad ducendam eam vxorem, quasi reipubl. maxime interesset, dandamque ceti- tis veniam talium coniugiorum, quae ad id tempus incesta habe- bantur: ac vix vno interposito die confecisse nuptias, non reper- tis, qui sequenter exemplum, ex cepto libertino quodam, & al- tero primipilari, quod & tradit Cornelius Tacitus in 6.

¶ Ditorum fratrum filii, vel filiae, id est, consobrini, secun- dum Theophilum, §. duorum fratrum, de nupt. in Insti. lib. 1. Theo- phil. hic contrarium sentit. P. Brederodius. matrimonio coniungi secundum & Iustinianum, §. horum fratrum, eod. ap. Iustini. l. ce- lebrandis, C. de nupt. possunt, & ad tertium vsque gradum. Quan- uis non olim nisi ad quartum vsque. Dispensasse & olim Caelares vt legitimo esset vxor consobrini, Cassiodorus docet, lib. 7. varia. c. 46. Porro Caius, lib. 1. Insti. tit. 4. fratres, inquit, amimos vel consanguineos in matrimonio iungi, nulla ratione permittitur. Et pu- niuntur in Cod. Theodosiano, l. 2. de incest. nupt. lib. 11. C. Theodos. huiusmodi, vt incestae nuptiae: Harmenopolus, lib. 6. cap. 4. Pro- hibet & Alexius Patriarcha Constantinopolitanus, lib. 2. iur. Ori- ental. in eius consit. nuptias septimi gradus: id ipsum Patriarch. Constantinopolit. Michael, eod. lib. in eius consit. & Char- tophilax magnae ecclesiae Nicetas, anno mundi 6565. Et Lucas Patr. Const. eod. lib. constitutione sub imperio Manuelis. Habes autem ap- ud Alexium sic ordinatos septem prohibitionis gradus:

- Fratres,
- Georgius & Nicolaus:
- Consobrini,
- Theodete Helens:
- Sobrini,
- Demetrius Basilus.
- Theodete in 7.

Sed & Gregorius ad Augustinum Angliae episcopum scribit, pet- ea matrimonia ex lege Anglorum intra hos gradus aliquando per- missa, non potuisse sobolem succrescere, in can. quadam lex, §. 5. quast. 3. ideo inhienda. Et Bonifacius Martyr ideo plures na- tiones deletas a Deo, c. §. gens Anglorum, §. 6. diffin. & in Anglos Agarenos irrupisse.

15 ¶ Eadem iure nostro pontificio recepta sunt, & ad septimum vsque gradum recepta prohibitio nuptiarum in collateralibus, cap. de affinitate, c. progeniem, c. nullum, c. in copulatione, can. con- sanguinitate, §. 5. quast. 2. vid. c. fina. de consang. & affinit. Septimus autem in prohibitione non est, sed sextus tantum, cap. 1. §. 5. q. 4. cap. 1. 2. 3. §. 5. quast. 5. distinctioque gradum haecibi, filius & filia, & eius, frater & soror sit truncus, nepos neptis inde, primus gradus: pro-

nepos proneptis, secundus: abnepos abneptis tertius: adnepos adneptis, quartus: trinepos trineptis, quintus: trineptis filius & trineptis filia, sextus. Sed haec latius intelliges ex epitola, ca. ad sedem apostoli- cam, §. 5. q. 5. c. non debet, de consang. & affinit. a. ad Gregor. clem. 1. eod. Alexandri 11. Papae ad Neapolitanos clericos, & episcopos om- nes Italiae, quae distinctionem & varium numerandi iuris ciui- lis in successione deferendis ordinem, & iuris pontificii in nu- ptis copulandis adfert. ¶ Exstat & lex Salica antiqua Francorum, 16 in lib. leg. Salic. tit. 14. §. 1. 2. in haec verba, Si quis sororem, aut fratris filiam, aut certe alterius per adoptionem, aut fratris vxorem, aut amicum, sceleratis nuptiis sibi iunxerit, huius poena subiacet, vt arali consortio separetur, atq; etiam si filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, sed infamia sint notari.

¶ Impeditur & matrimonium, cognatione legali per ado- 17 ptionem coniuncta: adoptio quippe naturam imitatur, §. mino- rem, de adopt. apud Iust. §. & haec adeo, eod. Et itaque prohibet ma- trimonium inter adoptantem & filiam adoptatam, c. vni. de co- gna. legat. lib. 4. Decret. tit. 11. c. ita diligere, §. 9. q. 3. L. adoptiuus, §. 1. quin etiam, de ritu nupt. l. per adoptionem, eod. inter adoptatam & fi- lium legitimum, & naturales adoptantis. ¶ Impedit & etiam co- 18 gnatio spiritalis, quae ex baptifmate oritur, inter prebyterum baptizantem & baptizatum, & matrem patremve eius: inter con- fitentem & confessum, can. omnes, & seq. 30. q. 1. e. fin. de cognatio. spiri. inter baptizatum & baptizantem, non sunt iustae nuptiae, Iu- stin. l. si quis alumnus, 26. de nupt. C. c. de cogna. spiri. in 6. Nec in- ter patrem baptizati & vxorem leuantis vel patris, c. 4. de cogna. spiri. apud Gregor. inter patrem matremve iustalem, matrimo- nium quoque impediebatur, quamvis factum non dissoluatur, sicut ante in consanguinitate dictum est, c. 2. eod. c. 1. & 2. §. 9. 1. e. dictum, eod. Non permittitur etiam inter regeneratum seu regene- ratam, & filios regenerantis postea natos, c. ex literis, & c. iua- nos, de cog. spir. c. pistorium, 30. quast. 3. Obseruant & hanc prohi- bitionem alioquin barbarae nationes Rbutenorum seu Mosco- uitarum, vt ait Sigismundus Liber Baro, in commentar. de reb. cor. Inter confirmatum & patrem eius, & tenentem ad confirmatio- nem cognatio & prohibitio, c. si quis filiarum, §. 9. q. 1. ex concilio Tridentino 8. sessio. c. 2. reformationis. Demetrius Chomatens, lib. 3. iur. orient. tit. de grad. cogna. Archiepiscopus Bulgariae, vnum fieri hominem dixit, patrem naturalem, & eum qui filium suum ex baptifmate suscepit, indeque compaes dici, & eorum libe- ros fratres: indeque natos naturalem sortiti cognationis appella- tionem, quia Sancti Spiritus vniuersi potestas, omnes concilia- uit in veram propinquitatem. Adfert & ea, §. 6. sextae Synodi, quo cauetur, vt quia necessitudo seu affinitas spiritalis maior est cor- porum coniunctione, ne quis cum matris matrimonium in- eat, quarum filios ex facto baptifmate suscepit: alioqui poenam diremctionis matrimonii statuens & fornicatorum. ¶ Cognatio ¶ vero & filiatio spiritalis ex confessione seu poenitentia, con- 19 tentem & absolutem non egreditur, vide glof. in ca. omnes, 30. quast. 1. quia per poenitentiam ea non fit remissio peccatorum, vel regeneratio, quae per baptifmum fit. ¶ Affinitas ¶ etiam in certis gradibus habet nuptiarum prohibitionem, quia, vt ait Plu- tarchus, in problem. antiqui nuptiis necessitudines augeti volue- runt: & ideo illis minus iunctos potius, quam pene familiares con- iungi oportuit. Adde quod & quandam honestatem inter veneratione quadam iunctos obseruari oportuit intactam. Et ita pro- hibentur nuptiae affinitatis gratia, §. affinitatis, & §. socrum, de nupt. l. nemi, 17. de nupt. C. l. adoptiuus, 14. §. nunc videamus, de ritu nupt. cum priuigna, nuru, socru, nouerca. Affinitas vsque ad quar- tum gradum a matrimonio ex quo nascitur computandum, pro- hibitionem habet, c. 1. & c. non debet, & c. fin. de consang. & affinit. Statuit Emanuel Comnenus, in iure Oriental. lib. 1. in nouel. §. E- manue. tit. de ritu nupt. de ritu nupt. & ad lex. q. 1. cum dua- bus sobri. Caelar, ne vnus & idem duas sobrinas possit ducere suc- cessiue, quia in quiebat contractum ad sextum gradum affinitatis deduci, cum matris cenferat vnus gradus cum vxore. Exstat & constitutio Sifinii Patriarchae Constantinop. lib. 1. iur. Oriental. ne duo fratres accipiant duas consobrinas. Id ipsumque alius Pa- triarcha Nicolaus, eod. in eius sanctio. firmavit. Imo Graecis om- nibus non videtur idoneum, vt si pater matrem, cum sint duo vnum, vxorem accipiat, filius familiam non sine reatu, valeat si- bi coniugio sociare, vt scribit Luitprandus, lib. 4. de reb. per Lu- rop. gest. c. 6. Haec etiam obseruant Melconite, vt ait Sigismun- dus Liber Baro commentariis de rebus eorum. ¶ In ¶ affinitatis 16 prohibitionem variatum etiam fuit, nam iure diuino olim proxi- iora

maior frater tenebatur accipere viduam fratris sui primum, & ei succedere semen: vel si proximior renuebat, conuocatis senioribus vidua pro testata cum ignominia subiebat calcibus, & spuebat in reculantem matrimonium, cuiusque domus perpetuo dicebatur domus ex calcibus, *Deuter. c. 25. Reg. 4.* Quod tamen lege Evangelica, & iure pontificio sublatum est, *cf. de duort. c. olim, 8. q. 1.* Et iura ciuilia quoque subscripserunt, *l. si quis, §. 1. pen. & fin. de incest. nupt. c. §. affinitatis, de nupt. apud Iustina. §. Affinitas*
 2. 1. primus generis tantum prohibet nuptias inter virum & conanguineam vxoris, & inter vxorem & conanguineum eius viri vsq; ad gradum prædictis: at non inter conanguineos affines, *c. quod super his, de consang. & affinit. §. mariti, de nupt.* Id ipsum dicimus in sponsalibus, in prohibitione ratione publicæ honestatis, *Panor. in c. inuenis, de sponsal. Angelus, in §. si vxor, de nupt. d. c. super his.* De quibus haucit oportet cognitionem ex illis, quæ diximus in c. de affinitate post nuptias. ¶ Ceterum textus dispensatione summi pontificis, nuptiæ possunt contrahi licite inter gradus seu generationes prohibitas, *ca. quod dilectio, & cap. quia circa, de consang. & affinit. de qua dispensatio, vide plurimam in gloss. c. ut constitueretur, §. 10. dist. Nemo autem præter summum Pontificem dispensat in gradu prohibito, glo. in d. tit. quo d. dilectio, & ibi Panorm. num. 5.* Si quidem in concilio generali prohibito facta est nubendi intra quartum gradum, *c. debet, de consang. & affinit.* Alius autem, quam summus Pontifex, nemo potest contra concilium dispensare, *glo. in c. cum d. electus, de elect. Felin. in cap. at si clericus, §. de adulteris, de iudi.* Is quoque nec in omni gradu dispensat, nec in quibus potest, sine magna potest causa. Item nec Sum. Pont. in primo vel secundo gradu dispensabit, *late glo. in c. pntium, §. 30. quæst. 3. vt quis forore non vel neptem in vxorem habere possit: quia Deus prohibet turpitudinem fororis & filiarum reuelare. Felin. filia eius non sumus quia vna caro sunt, L. i. c. 18.* Et si illa verba intelligantur in descendentes, certe nec in collateralibus in secundo gradu dispensare potest, *c. literas, de rescript. spol.* Possit tamen eum in hoc, ex magna causa, putat communis interpres Decretorum, *glo. in d. cano. pntium, in verbo, fororis, per cap. queritur, 12. q. 2.* At inter collaterales in linea inæquali, vt in linea ascendenti, submouet Panormitanus omnem dispensandi facultatem, *Panor. in c. literas, nu. 17. de rescript. spol. & in c. proposuit, de concess. prob. cui & ego subiebo.* In linea quandoque collateralium ex maxima causa admittunt omnes, vt pro pace inter principes, *arg. cap. nisi essent, de proben. dispensetur.* In his autem qui coanguinantur tertio, aut quarto gradu conanguinitatis, vel affinitatis, Sum. Pont. leui ex causa dispensat, si veritas gradus & lineæ illi parrentur, *d. c. quod dilectio, de consang. & affinit.* Facilius autem dispensat, prohibitis propter publicam honestatem, cuiuscunque sint gradus, vel propter cognationem spirituales, *Interp. in dicto cap. literas, & cap. proposuit, de concess. prob.* Porro dispensatio efficit, vt contrahens contra prohibitionem non sit excommunicatus, *cl. m. vni. de consang. & affinit. vt viter pœas, incellat nuptias contrahentium, de quibus in tit. de incest. nupt. in a. ubi in c. cum secundum leges, de here. in 6. Anchar. consil. 409.* Dehinc tertio vt nati ex eo matrimonio, veluti sublati impedimento, fiant & legitimi, etiam quod atinet ad successiones iure ciuili deferendas, *Panor. in c. referentia, c. 4. & c. per venerabilem, nu. 21. qui sit, sint legit.*

De impedimentis contrahendi matrimonii, de Furrore, & Errore, Frigiditate, Metu.

Cap. 12.

1. Error iniri matrimonium prohibet, iniri tamen superueniens non separat, nisi apud Græcos.
2. Error in matrimonio quando ipsum dissoluit.
3. Presensia personæ omnem erroris admittit suspensionem, excepto si a iu seruitus.
4. Error in virginitate soluebat olim matrimonium: hodie non.
5. Impotentia coeundi quando dissoluit matrimonium.
6. Natura, quia aut frigiditas, aut minoris ætatis. Frigiditas naturalis ante matrimonium, & cum matrimonio perseverans, dissoluit illud.
7. Maleficium non coeundi dissoluit, si ante matrimonium fuerit, & perseveret per tres annos, & ignoretur tempore iniri matrimonii.
8. Sterilitas non est causa efficiens dirimendi matrimonii.
9. Maleficium dissoluit potest.

Amasis Regis & Aegyptiorum maleficium coitionis quomodo dissoluitur.

10. Solonis leges de frigiditate, & contra frigiditatem.
11. Creditur potius dicentibus alicuius esse potentem coeundi, quam dicentibus esse impotentem.
12. Metu fieri non possunt matrimonia, & facta dirimuntur.
13. Provinciarum administratores, & qui etiam ex illorum comitatu, cum subditis contrahere matrimonium nequebant.
14. In Gallia permittitur magistratibus matrimonium cum subditis, quare.
15. Tutoris, curatoris, aut filiorum eorum cum pupilla, aut minori, matrimonium quando valet.

Diximus impediri matrimonium iniri furor, quam diu is perseverat propter consensum, qui illud, vt diximus, facit defectum, & si furor superueniens iure Romanorum non dissoluit contractum, *l. p. l. patre furioso, de iis qui sunt sui vel alieni, sur. lib. 1. P. tit. 6. l. furor, de spons. in P.* quod & pontificio receptum est, *fr. noc. 3. in c. dilectus, c. 24. de spons. lib. 4. Decret. tit. 1. c. neque furiosus, 32. q. 7.* Iure tamen orientali Græcorum paulo aliter receptum est, placuitque vt notat Constantinus Harmenopolus, *lib. 4. tit. 12.* superuenientem furorem posse matrimonium dissolvere. Exliat & constitutio Nicephori Boroniæ, *lib. 1. iur. Oriental. in eius constitutio. vbi dicitur, quod Imperatoris Orientis ea de re & Leonis Philosophi nequa centesima, & centesima prima, quibus cauetur, vt si per triennium vxor in furore perseveret, maritus dissolui possit petere matrimonium: si autem vir per quinquennium furit, vxor quoque abire possit in matrimonio.* Sequitur ecclesiæ catholica legem, qua matrimonium rite contractum, nisi ratione thori, vt dicemus, non dissoluitur. ¶ Error aliquando, qui inter contrahendum matrimonium incidit, inhibet ne illud efficiatur, aut in dissolubilis coniunctio. Non enim consentiunt, qui errant, *l. si per errorem, 15. de iuris d. omn. iudic. lib. 5. P. tit. 1. l. si procurator in 2. de acquir. rer. dom.* At error hic personæ, *cap. 1. 29. q. 1. absentis, si vna pro alia intellecta subiiciatur, non autem in persona præsentis: veluti dum Lia supposita pro Rachaele Iacobo, in quam tamen postea consensus, Genes. 29.* Nec si error in qualitate, vel fortuna, seu patrimonio coniugum. ¶ Præsentia itaque personæ omnem erroris sufficientis, *l. si id quod iurum, §. de verb. oblig. in P. c. cum in corpore, de acq. rer. dom. P.* admittit suspensionem, excepto errore conditionis status: nam qui liberam se duxisse putabat, si seruam esse detegat, abire potest ab eius coniunctione, & alteram ducere, *c. 2. §. si de coning. seruo. li. 4. Decret. tit. 9. tota 29. q. 2.* dummodo postquam seruam cognouerit, cura ea non concubauerit. Nam concumbendo ei adhaerere cogetur. ¶ Olim error in virginitate quoque iure diuino soluebat matrimonium, vt si quis quam pro virgine duxerat, talem non inuenisset, *Deut. c. 22.* illa autem dimissa, lapidabatur. Sed & hæc lex in desuetudinem abiit, & tenet matrimonium. Sicuti iure ciuili firma est emtio mulieris, quam quis emerat pro virgine: in sexu enim non est erratum, vt ait Vlpianus, *l. alioqui, 11. de contrab. emt. lib. 18. P. tit. 1.* nisi qui vendidit mulierem, inquit, sciisset, & ita decepsisset emtorem. Sic enim ait, *l. p. in lex emto, 11. §. si quis virginitatem, de actio. emt. lib. 19. P. tit. 1.* Si quis virginem emere putasset, cum mulier venisset, & sciens errare eum venditor passus sit, redhibitionem quidem ex hac causa non esse: verumtamen ex emtio competere actionem ad resoluendam emtionem, vt pretio restituo mulier reddatur. Verum quia post nuptias initas & consummatas res non est integra, & quia pater vel alius vix de virginitate vadem se præstare potest: certe ob penuriam probationum, periculo ipsius mariti, non virgo, virgo fingitur. Vt maxime cauendum sit in his mercibus, quarum viria non cognoscuntur, nisi postquam comparatæ sunt; cautius negotiari. Videtur tamen Romanis fuisse & hanc causam repudii, si quis eam, quam putaret castam, malæ famæ, & meretricem fuisse inueniret, vt inuit Perla filia Saturionis, qui eam vendebat, vt inde illi dotem pararet, post scortationem nupti daturus vt liberam, dicens apud Plantum, in Persa, act. 3. scena 1. patri.

Verum videto me vbi volens nuptum dare,

Ne hæc summa faciat repudiosas nuptias.

Et potest mulier, ac virgo, marito obsequia thori, & proliis reddere. Quo fit, vt hic error nõ soluat matrimonium: quamuis possit thorum se parare, vt postea in adulterio dicemus.

¶ At contra, si vxor putans viri potentem & matrimonio idoneum accipere, inueniat eum non posse partem matrimonii implere & sequi, quæ in coniunctione corporum est, tunc enim,